

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.



1684.

1. Alberti, Val: De servitute naturali. . . .
2. Bergerus, Christianus Galkopferus: De poena traktus di-
Corda.
3. Bergerus, Johannes Mursen: De quasi-delictis
4. Bochet, Martinus: De Francorum natalibus
5. Bonus, Jacobus: Programm de promotione per
sacrum [ad actum solemnem Georgii Augusti Fockelii
etc etc. invitab]
6. Eplerus, Joh. Gottlieb: De lista ugoσω uod ηφιδ
sive personarum respectu in puniendis delictis
7. Hahn, Godefridus: De poena in res inanimatas.
8. Hennisch, Joh. Fridericus: De iuramento perura-
furum
9. Fentzen, Mauricus: De iure naturae habitis et
negato.

1684

10. Kelpius, Martinus: De natalibus Saxorum Franco-
sylvanice
11. Weis, Fridr. Incher: De Maudii Torquati factis
12. Nylius, Andreas: De privilegiis
13. Nylius, Andreas: De compromisso
14. Nylius, Andreas: De morzenzaha Fittavianensi.
15. Nylius, Andreas: De cursu emigrationis.
16. Nylius, Andreas: De jure vicinorum.
17. Pfaulzger, Christophorus: De eclipsibus solis.
18. Philippus, Fridricus: De vulneratione lethali.
19. b. c. Philippus, Fridricus: De querela non numeratae pecuniae.
nied. 3 Saempl. 1684. - 1719
20. b. c. Philippus, Fridricus: De sumptibus funerum 7 Saempl.
21. Philippus, Fridricus: De literis malis comparatis
22. a. b. c. Preckell, Georgius Anrius: De crimine praeter-
obacti 3 Saempl. 1684, 1730 - 1749

1684.

Frans. Rechenberg, Altona: De Honoribus P. Gall.
absolutione Romana.

44. Roesner, Ludw. Christophorus: De bonis domanialibus
... 2 Sumpt. 1684 - 1740

5. Schacher, Ambr. Hartman: De laete intempertiva

69. Schwanen Duerffer, Barth. Leonhardus: De privilegiis
mercatorum. 2 Sumpt. 1692 - 1713.

27. Tellerus, Romanus: De divisione lucris et
summi rates sociis.

28. Thomarias, Christianus: De promotione Romanorum
Pandiis. 3 Sumpt. 1684 - 1731.

29. Wagner, Christianus: De numero mundorum

30. Weber, Samuel: Historie Comitum veterum
Romano - Germanorum generalis.

1871
Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and mostly illegible due to fading and bleed-through.



6706

56.

1684, 1

DISPUTATIO MORALIS,
 De
**SERVITUTE
 NATURALI;**

Quam
 Dei Gratia
 Et Inclytæ Facultatis Philosophicæ
 indultu,

SUB PRÆSIDIO
 VIRI

*Maximè Reverendi, Amplissimi atq; Ex-
 cellentissimi*

DN. VAL. ALBERTI, SS. Th. D.

& P. P. Extraordinarii, Logicæ ac Metaphysicæ Ordini-
 narii, Collegii B. M. Virg. ut & Nationis Polon.
 Senioris, Acad. Decemviri & Alumni.

Elect. Ephori,

Domini Patroni & Præceptoris sui filiali
 observantia ætatem colendi;

publicæ disquisitioni

d. XIV. Maj. A. M. DC. LXXXIV.

subjicit

HENRICUS BIEDERMANNUS, Chemnic.
 Autor & Respondens.

LIPSIÆ, Literis JOH. GEORGI,

IV.
 D. 11. D.



20.

DISPUTATIO MORALIS

DE VIRTUTE

GENITALI

DE VIRTUTE

DE VITI ALBERTI SS. IND.

DE VITI ALBERTI SS. IND.

DE VITI ALBERTI SS. IND.

DE VITI ALBERTI SS. IND.

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a date or signature.





B. C. D.

Quemadmodum Antistes Eloquentiæ Romanæ, Cicero, in *Pandoxis* ex Stoicorum Sententia concludit, omnes *Sapientes* esse *Liberos*; Ita non malè Philosophorum Princeps Aristoteles disputat, omnes *Insipientes* esse *Servos*, h.e. ad Servitutem destinatos *I. Pol. 3.* Etenim Experientia, tanquam omnium rerum Magistra satis superque testatur, Naturam duas quasi hominum classes instituisse, quas ubique, quò locorum etiam nos vertamus, reperiri nemo facile negabit; alios siquidem instruxit magnis animis & providâ solertiâ, alios abjecit ad ignominiam usque brutorum, solius patientiæ pariter & laborum Gloria superbos. Id quod dubio procul innuere quoque voluit Plato *3. d. Legib.* inquiring: Imperantium animis admixtum fuit in prima Generatione Aurum, unde Honoratissimi facti fuerunt; Illis autem, quos (Natura scilicet) ad Auxilium fierivoluit, Argentum indidit; Ferrum denique & Æs Agricolis cæterisque Opificibus.

Idcirco tum demum officia juxta ac Dignitates juste distribui, non perperam existimat Aristoteles *1. Ethic. 3.* quando quisque obtinet id, quod & Conditioni & Naturæ suæ congruit commodè. Et quia exinde constat, quòd quidam Homines usque adeo impotentis nascantur animi, ut nec ipsi suis prospicere commodis, nec in futurum consulere sibi aliquomodo possint; Ea propter indignos illos censet, quinimò planè impares Libertati ferendæ, & quidem tales, ut non nisi ægerrimè ac cum damno suo extra servitutem ad instar animalium, vivere queant. Sicut enim piscis contra Naturam detinetur in aëre, adeò ut etiam, si diu detineatur, in eo perire necesse habeat: Ita simili modo, qui propter Rationis pariter & Judicii defectum extra servitutem se suamque Familiam sustentare non possunt, à Libertate non minùs abstinere prohibentur, quam piscis

piscis ab Aëre & Avis ab Aqua. Hinc in Politicis Servitutem in Naturalem & Legalem, tanquam Genus in suas species dividunt pasim. Vid. Libenthal in Colleg. Pol. Ex. 3. th. 24. 25. 26. & 27. Cellar. in Pol. C. 3. §. 40. pag. 51. Arnif. in Rel. Pol. L. 1. C. 3. p. 91. Excell. Dn. Jac. Thomas. in Philos. Pract. Tab. 35. n. 4. not. 2. sub * & in Annot. ibid. 163. Ac licet de Servitute Legali non solum Politici, sed etiam Jcti locis idoneis agant fufissimè; Attamen de Naturali ferè obiter & parcè, contra quàm ej9 dignitas ac utilitas efflagitat, tantùm verba faciunt. Cum itaq; ex eorum Jussu, quibus obsequi par est, mihi incumbat Eruditionis quoddam specimen publicæ committere luci, certè non præter rem videbor agere, quòd loco Disputationis publicæ Materiam *Servitutis Naturalis* præ aliis ex Politicis selegerim. Illud autem dum pertendo, hoc unicum à B. L. rogatum volo, ut si qua in re hallucinabor, veniam mihi prolixè concedat atq;ve libenter, & omnia æqui boniq; consulat. Quâ impetratâ nunc ipsam rem aggredior, precatus ante omnia Divinum Numen, ut totum hoc quicquid est, benè feliciterq; ex omni parte evenire sinat jubeatq;ve. Sit ergo Bono cum Deo & pro Ingenii Modulo:

§. I.

Quandoquidem solenne hoc obtinet in omnibus fere Disputationibus, ut easdem primò omnium à Definitione auspiciantur, meritò & ego earum insistens Vestigiis Disputationis meæ initia à Definitione accersam.

§. II. *Definitio* autem vel *Nominis* est, vel *Rei*. *Nominis* absolvitur *Etymologia*, *Homonymia* & *Synonymia*.

§. III. *Etymologiam* quod spectat, afficit ea vel vocabulum servitutis vel Vocabulum Naturalis. *Servitus*, prout hoc loco accipitur, non dicitur à *Servando*, quòd Imperatores, i. e. Belli Duces, Captivos vendere, ac per hoc servare nec occidere soleant, ut apud Jctos Legalis Servitus de qua in §. 3. *Inst. de Jur. person. l. 4. §. 2. ff. d. stat. hom. §. l. 239. §. 1. ff. d. Verb. Sign.* agitur. Sed potius à *Serviando*, quod inservire sive prodesse significat. Anton. Faber in *Jurispr. Papin. t. 5. pr. ill. 6.* Bachov. ad *Treutler. Vol. 1. Disp. 2. th. 3. Naturalis* verò appellatur à sua causa efficiente, quam habet, quòd videlicet fit à Natura & ex Dignitate Naturæ, uti ex infra dictis fufius apparebit.

§. IV.

§. IV. *Homonymiam* quod attinet, sumitur in presenti Materia non *Juridicè & Legaliter*; Sed *Politicè & vulgariter*; Et hoc respectu iterum non *strictè* pro Servitute Actuali, subjectione servili, sive ipso actu Servitutis, sicuti Jcti eam accipiunt, quando Naturâ servos appellant eos, qui ex ancillis nascuntur, & speciali nomine, quod plerumq; verno tempore nascerentur, dicebantur *Verna l. 36. pr. & §. 1. ff. de Legat. 1.* Colleg. Jurid. Argent. *de Statu Hom. tb. 11. in fin.* à Vere, i.e. domi vere nati, quod tempus anni maximè naturale foeturæ est. Festus *de Verb. Sign. in Voce Verna, p. 473.* Gothofr. *in not. ad dict. leg. lib. 4.* Sed *latè* pro Servitute, ut ita dicam potentiali & aptitudinali, sive potentia & aptitudine Naturali ad serviendum, & sic pro Ingenio stupido ac servili; Arist. *1. Polit. 3.*

§. V. Ex quibus simul patet, quo sensu etiam dicatur *Naturalis*. Nimirum non in *genere & negativè*, pro omni eo, quod naturæ, vel naturali rationi non repugnat; quomodo Servitus quoq; apud Jctos legalis, & consequenter Societas Herilis ex tali Servitute orta suo modo potest dici naturalis, quia naturæ vel naturali rationi non repugnat, eum quem jure quis occidere potest, servare & servituti addicere; hinc etiam spectatâ causâ, quæ fuit ut servarentur potius quàm occiderentur, eam secundum Naturam esse dicunt. Ludwell. *in Comment. Inst. ad §. 2. n. 1.* Sed in *specie ac positivè* pro ea Servitute naturali, quæ ipsam naturam, tanquam principium & causam efficientem agnoscit, in qua significatione quoq; *naturalis Societas* illa tantum dicitur, quæ constat & ex naturâ Servo & ex natura Domino. Hundeshag. *in Polit. Tab. 5. pag. 53.*

§. VI. Et sic, quoad *Synonymiam* vocatur aliàs etiam simpliciter & *nat' ἐξ ὄχου Servitus*, ad differentiam Servitutis legalis, quæ absolutè Servitus dici non potest, sed secundum quid & cum adjecto, scil. vel *Legalis*, vel etiam *consensualis*, idq; ideò, quoniam Servitus prædicatur de naturali & legali non æqualiter, & univocè, sed inæqualiter & analogicè, postquam fundamentum superioritatis & inferioritatis ipsis non in est æqualiter sed diversimodè, adeò ut Servituti Naturali *primariò*, Legali verò tantum *secundariò* conveniat.

§. VII. Nominis definitionem recto ordine subsequitur *Definitio Rei* aut si mavis, *Descriptio* aliquæ, & ita formari potest: *Servitus Naturalis est Servitus aptitudinalis à Natura introducta ad hoc, ut Ingenio Servili præditi homines serviant Dominis naturâ talibus, ad Familiæ tum*



constitutionem cum conservationem & mutuam sublevationem utilis & necessaria. Hæc Definitio constat suo genere & differentiâ Specificâ; *Generis* vicem sustinet *Servitus*, quæ, quomodo hoc loco sumatur, dictum est supra in §. 4. in fin. *Differentia Specifica* desumpta est à Causa Efficiente, Terminis Correlati & Relati, ut & Fine hujus Servitutis; de quibus omnibus in subsequentiis pluribus nobis erit agendum.

§. II. X. Definitionem in abrupto Successionis fœdere sequitur *divisio*, quæ quidem accurata dari nequit; Attamen non incommodè dispe-
sci potest, ad instar Societatum, quod Servitus Naturalis pro ratione & numero personarum sit vel *simplex*, vel *Composita*, ita, ut illa dicatur, quæ constat ex uno Domino, & uno Servo Naturali; Hæc verò, quæ constat ex uno Domino & pluribus Servis, quemadmodum uni Abrahamo, tanquam Domino CCCXIX. Vernulæ subiciebantur; *Gen. 14. v. 14.* Sed quæritur: *An hæc Divisio habeat etiam Fundamentum & unde?* Resp. Omnino habet fundamentum, simulq; rationem, & quidem ex relatione inter Dominum & Servum; prout enim hæc non semper est una & simplex, sed nonnunquam varia ac multiplex: Sic illa constituit Servitatem simplicem, si una numero sit; Hæc vero compositam Servitatem consistentem ex numero pluribus relationibus, quæ æstimantur à Terminis, i. e. Servis in Societate dominica & per consequens in hac quoque servitute naturali. Diximus autem compositam servitatem naturalem dici eam, qua uni Domino numero plures Servi subjiuntur. Hinc quæritur à nonnullis ulterius: *An etiam Servitus naturalis sit composita, si unus tantum Servus subjiatur numero pluribus Dominis?* Quæ quæstio posset affirmari, cum videantur adesse plures relationes in pluribus Dominis; Ergò etiam Servitus composita, quæ ita dicitur, quod constat & componatur ex pluribus personis, quod in propòsita quæstione fit; Namq; unus Servus omnibus parere tenetur, & quilibet Dominus dominium & imperium pro rata habet in illum Servum. Verùmenimverò, si consideremus, quòd unus Servus non sit aptus ad terminandas numero plures relationes, ob Judicii ac Fortunæ malignantis imperfectionem, quemadmodum unus Dominus idoneus est, ut ad alterum, imò ad plures etiã per Judicii sui practici ac per fortunæ abundantiam, regendos ac conservandos concurrere queat; ideò rectius videtur esse *neganda* quæstio, quia in quæstionibus practicis, qualis hæc est, id quod minus commodè fieri potest,
(h. l.)

(h. l. unus servus sub pluribus Dominis,) morali æstimatione pro non Ente habetur.

§. IX. Porro ratione modi Servitus Naturalis est triplex: Vel *rigidissima*, in qua Domini habent jus Vita & necis in Servos; vel *rigida*, in qua Domini possident bona pariter & Corpora servorum; vel *Lenis*, in qua Domini utuntur saltem Servorum opera ac ministerio. Cum itaq; *prima* sit contra principium Juris Naturalis: *Neminem ledere*, & sic per consequens ipso Jure Naturæ & divino prohibita; *Exod. xxi. 26. 27.* *Altera* verò certis Requisite opus habeat atque ita non simpliciter licita; Sequitur omnino *tertiam* Servitutem naturalem juri Naturali esse convenientissimam; Bodin, I. *de Republ. c. 5. add. Dn. Præses in Compend. J. N. p. 2. C. 12. S. 5. 6. 7. 8. & 9.*

§. X. Ex dictis nunc colligitur rectè servitutis naturalis *Causa efficiens*, quæ est vel *principalis & primaria*, vel *minus principalis & secundaria*. Illam esse Naturam naturantem, i. e. Deum Ter Optimum Max. quis negabit? Hic enim est, qui Naturam rationalem, à qua, utpote à causa secunda, ut post audiemus, hæc servitus præscribitur, condidit, & tanquam omnis convenientis ordinis prima causa hujus generationem permittit, aut etiam aliquando ordinat propter peccatum, quod Dn. Præses *all. loc. S. 4. n. 3.* elegantissimis Verbis Augustini (de Civitate Dei l. 19. C. 15. dicentis: *Prima Servitutis causa peccatum est, ut homo homini (servilis) conditionis vinculo subderetur, quod non sit nisi Deo judicante, apud quem non est iniquitas: & novit diversas pœnas meritis distribuere delinquentium*) confirmat. Hanc constituere Naturam naturatam (i. e. humanam, ex qua etiam dicitur Naturalis five naturale rationis humanæ dicitamen, patet exinde, quòd Natura quasi præscribat, conducere, ut imperior subjiciatur perfectiori, imprudentior obtemperet prudentiori, deterior meliori, atq; per hoc felicitatem, quam deterior sibi relictus, aliàs adipisci non potest, ope ac beneficio alterius assequatur. Et hoc statum naturali est convenientissimum; Siquidem constat, non solum Civilem, sed etiam domesticas Societates considerari posse, quoad duplicem Statum: Quorum alter *naturalis & perfectus*; alter *legalis & imperfectus* vocatur. Ex exemplis res fiet clarior: Conjugium, quod ineunt ætate florentes, perfecti status est, quod vero effœti, imperfecti. Sic patria Societas naturaliter est cum filio proprio, legaliter cum Adoptivo. Ad eundem

dem modum, cum ab ipsa Natura ad servitutem destinatus servit herilis indolis homini, servitutis statum Naturalem agnoscimus; cum bello captus aut paupertate adactus idem facit, quatenus ab hoc principio ea servitus nascitur, legalem. Quo in casu tamen non putandum est, statum legalem à natura planè damnari aut proscribi, sed per condescendentiam quendam permitti, & ad eum conniveri contemplatione eventus aliàs deterioris. Excell. Dn. Jac. Thomaf, in Not. ad D. Baltb. Cell. MSC. qv. 7.

§. XI. Quando verò dictum, servitutem hanc esse à Natura, illud non intelligendum *primario* ac *per se*, sed tantum *secundario* ac *per accidens*; aliàs peccaretur contra Naturæ clementiam, quæ omnibus mater & nemini noverca est, per se omnes expetit bonos ac perfectos, sed per accidens quosdam ineptos reddit. Quod clarissimè patet ex Physicis. Sicuti namq; monstra producuntur à Natura non intentione prima, sed secunda; Ita Natura non est causa Servitutis naturalis per intentionem primam, quia ex hac vult, ut omnes homines sint liberi, i. e. sufficienti ad Civilem Beatitudinem rationis usu instructi; sed tantum per secundam, quia omnis homo jubetur ad Civilem Societatem impetrandam totis viribus laborare, quam si ex principio interno impetrare non possit, adhuc tamen ex principio externo, præscripto scil. & Manuductione alterius impetrare tenetur. Hundesh. in Ann. ad Tab. pol. 5. fol. 56.

§. XII. Causam efficientem excipit *Finis Servitutis Naturalis*, qui consistit partim in Familiæ constitutione, partim in Familiæ constitutæ conservatione, & deniq; partim in Vitæ commoditate, tum Domini, tum etiam ipsius servi. Ad constitutionem Familiæ est necessaria servitus, quia nulla Familia, nec consequenter Republica consistere potest (per se) absq; servitute & Famulatio. Quod conservationem Familiæ attinet, res etiam est clara. Ut enim in Corpore humano ex partibus suis constituto unumquodque membrum sigillatim ad conservationem totius multa alia requirit; ita etiam unumquodque membrum Reipubl. indiget certis mediis & Instrumentis ad vitam beatam necessariis. Tale medium & Instrumentum est etiam servitus, quo Dominus utitur ad beatam vitam eò felicius promovendam. Et quidem Instrumentum hoc (in statu corrupto) adeò est utile, imò necessarium, ut absq; eo, aut saltem tali, qui servo secundum analogiam respondeat, vel Familia vel Republica perfectè felix esse non possit. Inde etiam est,

est, quod omni jure servitus approbata sit. Ex Jure Divino unus instar omnium sit Abrahamus, qui 318. Servos domi suae natos numerare poterat. *Gen. 14. v. 14.* De Jure Naturae vide Arist. *1. Pol. 3.* Conservatio vero hoc loco non intelligitur quavis e.g. Civilis, nec quae est speciei, vel aliae Physicae, ut sunt edere, bibere, procreare sibi simile, sed tantum *conservatio Oeconomica*, scilicet individui in statu Oeconomico, & quidem mutua, licet inaequaliter. Reposita autem haec est Conservatio in acquisitione rei familiaris. Hoc enim pacto & Domino & Servo necessaria Vitae subsidia suppetunt, utriusque pro suo statu & dignitate. Et hoc est, quod Aristoteles, ubi finem Societatis herilis nominare vult *1. Pol. 1. σωτηριαν* Salutem vocat; quae vox hoc ipso sensu occurrit etiam *L. 5. Nicom. c. 2.* nam ibi recte observat Gi-phanius *p. 345.* cui adjungatur Dürrius *Phil. Moral. p. 132.* quod notentur per hoc Vocabulum, omnia ad vitam tuendam necessaria, quibus Res patriam, conservantur & augentur per servitutum & auxilium servorum. Exc. Dn. Jac. Thom. *in Phil. Pract. Tab. 35. n. 3.* ibique Dn. Praeses *in Discursu.* Sed quaeritur? *Unde illa res necessaria cognoscantur?* R. Ex indigentia; & determinantur vel ex parte Domini, suntque illae, quibus Dominus solus non sufficit per corporis sui debilitatem; vel ex parte Servi, & sunt Victus, Amictus & Disciplina. Denique ad vitae commoditatem quam multum facere hanc Servitutum, cuilibet constat. Primum ex parte Domini. Enimvero, ut Dominus commodè vivere queat, opus habet Servitute, tum propter Negotiorum multitudinem, tum propter membrorum subtilitatem omnibus agendis non sufficiens. Secundò ex parte servi; hic enim ex propria sua ratione se regere non potest, nec sibi subsidia vitae necessaria comparare, ideò opus habet Domino, qui quid faciendum jubeat, ac pro labore fideliter praestito iterum necessaria praestet, adeò, ut hanc ratione utriusque tam Domino quam servo non malè consulatur, ita tamen, ut semper Domini ratio habeatur prius, Servi vero posterius. Dn. Thomas, *d. 1. Et in annot. 61.*

§. XIII. Correlatum h. l. (concretivè) est *Dominus Naturae talis*, qui Facultatem herilem habet, ut Servis ritè imperare possit, & sic Ingenio est ad imperandum apto secundum statum Naturalem, quia mente debet prospicere ea, quae alter Corpore debet perficere. Relatum (concretivè iterum) est *Servus Naturae talis*, in quo requiritur Corpus laboribus aptum, animi Vis non major, quam quae alienae prudentiae dicta possit

B

capel-

capessere, quafiqve ex alio quod pariat, ficuti in procreatione Sobolis foemina concipitè Viro: Siqvidem comparatio Domini cum Marito, Servus cum Uxore quam optimè huc quadrat. Quantum enim difcrimen est ex parte corporis inter Sexum maris & foemina; tantum ex parte animi inter Ingenium herile & fervile. Mas ex fe, Foemina ex Mare gignit; ita Dominus Naturalis ex Ingenio fuo, servus naturalis ex ingenio Domini opus quafi gignit fuum. Quare & Mas ac Dominus habent fe activè; Foemina & Servus quodammodò passivè. Sunt verba Dni Thomas. *d. l. Annot. 62. n. 3.*

§. XIV. Talis itaque qui est, ab Aristotele appellatur servus naturâ, & definitur *Instrumentum animatum, activum, separatum rationis particeps, quod secundum naturam non sui ipsius, sed totum est alterius. i. Pol. 3.* Quæ definitio constat Genere & differentiâ Specifica. Genus est Instrumentum, & ita dicitur ideò, quòd servus sit Causa instrumentalis ac sic alterius: i.e. Domini sui gratiâ, vel etiam, quòd imprimis in Usu & Exercitio suam vim ac naturam positam habeat, sive ipso actu agat sive non, modò possit agere & à Domino adhiberi ad aliquem usum. *Differentia Specifica* continetur in sequentibus Verbis. Etenim dicitur *Instrumentum i. animatum* ad differentiam instrumentorum inanimatorum, qualia quam plurima dantur, ut Securis, Malleus, Serra, Calamus, &c. quæ ad Voluntatem causæ principalis opus aliquod producere nequeunt, nisi simul accedat Elevatio Naturalis & Physica. 2. *Activum*, quòd usum sui exhibeat agendo; quò ipso distinguitur ab Instrumento passivo, quale est incus. 3. *Separatum*, quòd servus mandato Domini accepto, etiam absente eo, negotia sibi commissa possit exequi; ut sic distinguatur ab aliis Instrumentis, unâ cum Causa principali vel secundum esse, vel secundum operationem conjunctis, ut Manus nostrâ, Calamus, qui non potest literas fingere, nec penicillus pingere nisi moveatur, ille actu à Scriba, hic verò à Pictore. 4. *Rationis particeps*, ut separetur à Brutis, quæ ratione carent, e.g. Equo, Bove, Asino, quæ quidem etiam sunt instrumenta, sed irrationalia; Ideò autem dicitur servus rationis particeps, quia quædam talis mandata Domini intelligere, memoriâ imprimere, ac rectè expedire valet; Et denique 5. *quòd secundum Naturam non sui ipsius, sed totum est alterius*, ut etiam discriminetur ab Operariis; uti omnia hæc elegantissimè sic explicat, Max. Reverendus Dn. Praeses in *Disc. Pol. ad Tab. Phil. pr. Dn. Thomas. 35. n. 4.*

§. XV.

§. XV. Hæc erat Definitio Servi Naturalis ex Aristotele; aliquo modo aliter describitur à Neotericis. Dn. Jac. Thomaf. cum ita describit: Servus est is, cui à Natura servile ingenium obtigit. *in Not. ad Cellar. polit. Tab. 3. qv. 15.* Et Dn. Præses *in Compend. J. N. p. 2. Cap. 12. §. 4.* Servus, inquit, naturâ est homo stupidus, alterius moderamine indigens, quem gignit Natura ex accidente, intendens hominem prudentem qui sibi præesse possit ipse. Quam definitionem ut clarior evadat, illustrat elegantissimi simili ex Aristotele *L. 1. Polit. C. 3.* desumpto scil. à Corpore Humano. Corpus enim, inquit, est instar servi naturâ, & anima instar Domini naturâ; nisi namque Corpori insit anima, non potest seipsum movere, ut patet post discessum animæ in mortuis, itaque naturaliter corpus animæ subjicitur. Ut igitur Corpus se habet ad Animam; ita se quoque habet Servus ad Herile ingenium sive Dominum; antea laudatus Dn. Præses *d. l. n. 2. & in Disc. Polit. super Philos. pr. Thom. a. l.*

§. XVI. Recto nunc ordine ad Formam accedimus. *Forma* autem Servitutis Naturalis videtur consistere in certo ordine & modo, qui servatur inter Dominum & Servum Naturalem. Ordo autem iste concernit vel Dominum vel Servum; Cum enim constet, quod Dominus à Natura quandam Excellentiam, eminentiam ac prærogativam habeat præ servo, ideò etiam priori & digniori loco venit ponendus. Econtra servus ex sua quam habet stupiditate ac imperfectione, posteriori & inferiori loco collocari debet. Quotiescunque enim plura diversarum perfectionum Entia conjunguntur in unum tertium, id quod majoris est perfectionis priori, & quod minoris est, posteriori loco jure meritoque reponitur. Ex quibus clarissimum evadit, quodnam sit fundamentum hujus ordinis, tum, quoad Dominum, tum quoad servum. Nimirum fundamentum in Domino nihil aliud est, quam Domini eminentia præ servo, & ut ita dicam, melioritas. Sed *ubi fundatur illa?* R. In rationis expedito usu, quæ competit Domino præ servo. Nam ex hoc prospicere debet Dominus omnia ea quæ ad impetrandam Civilem Beatitudinem tam ipsi quam etiam aliis conducunt. Et hæc dicitur *Intellectus prærogativa*; quam sequatur alia quoque necessum est, quæ scil. dicitur *Prærogativa voluntatis*, quæ consistit in eo, ut Dominus omnia ea, quæ in mente ac intellectu judicatur bona, ex Voluntate apprehendat oppidò ac sequatur. Deinde fundamentum in Servo hujus ordinis, quod attinet; est illud stupidum Ingenium,

nium, defectus & imperfectio quædam, dependens partim ab intellectu, partim etiam à Voluntate. Ab intellectu ideò, quia Servus non potest prospicere, quid sibi conducatur, quid in Vita communi sequendum vel etiam fugiendum sit. A voluntate; quod servus ea, quæ mentem non prospicit, Voluntate quoque amplecti aut sequi non potest. Præterea ad formam quoque potest referri, quod in hac Servitute Dominus utilitatem suam quærat *primariò*, *secundariò* verò etiam servi commodis prospiciat; ex quo constat, quòd Servi à Dominis non diligantur *amore Amicitie*, sed *concupiscentie* & per consequens amicitia perfecta Dominis cum Servis non intercedat, scil. *quatenus sunt Servi*; *quatenus enim sunt homines*, utique veram amicitiam & possunt & debent Domini Servos suos complecti. Arist. *L. 8. Nic. c. 11. p. 348.* Dn. Jac. Thom. *in Philos. Pract. Tab. 35. n. 5. & annot. 161. n. 1. 2. 3.* Sed dicis: Hoc valde durum videtur, quando dictum est, quòd Dominus suam utilitatem quærat *primariò*, servi verò *secundariò* demum. R. Non: quia hoc venit ex ipsa natura, quæ hoc agendo sequitur ordinem divinitus institutum. Quemadmodum enim Deus entia nobiliora reposuit loco digniori & quidem justo ordine: Ita etiam iisdem commodiorem destinavit statum & durationem, atque simul Entia minus Nobilia produxit. Quod quidem satis superque ex inductione omnium entium sublunarium probari ac demonstrari posset. Sed hoc studio omitterimus.

§. XVII. Ulterius, quoad formam notandum, quòd Dominus in hac Servitute Naturali se habeat *activè*, servus verò *passivè*, jubeat ille, hic exequatur; ille imperet, hic verò obediat. Quanquam enim & Uxor quodammodo Domino & Patrifamilias inserviat in Re familiari, tamen non servit ipsi. Ut taceam, sæpe impeditur Uxorem, tempore scil. sobolis gestandæ, pariendæ, nutriendæ, ideò oportet per naturam, quæ neque in necessariis deficit, neque Gladium facit Delphicum, (*1. Polit. C. 1.*) dari in Familia aliam quandam personam, quæ serviat, & inserviat semper Patrifamilias in acquirenda Re familiari; & hæc est Servus.

§. XVIII. *Effectus* hujus Servitutis Naturalis consistit in aliquibus Juribus, quæ proveniunt ex hac Servitute, & considerari possunt vel ex parte Domini, vel etiam ex parte ipsius Servi naturalis. In utraque persona tam Domini quam Servi Jura sunt vel Activa vel passiva. *Jus activum in persona Domini* est herile, quod aliàs vocari solet jus Dominationis, *dominium*

minium & imperium herile, à Jctis potestas Dominorum vel Dominica,
& nihil aliud est, quàm Jus, quod Domino competit in Servos suos, ac
continetur in his tribus 1. in *prescriptione*, 2. in *Correctione*, sive Animad-
versione, & 3. in *acquisitione*. Quod enim Domino competat facultas servo
prescribendi, patet exinde, quia Dominus naturâ, mente debet prospicere
ea, quæ Servus debet corpore perficere; in hoc siquidem tam expeditus ratio-
nis usus non est, ut judicare possit, quid sibi faciendum vel omittendum sit.
Correctio vel potius *Coercitio* olim quidem in rigidissima servitute Dominis
competebat *plenissima*. h. e. sese extendebat usque ad Jus vitæ & necis, adeò, ut
impunè ob quamvis etiam levissimam causam Servos interficere licuerit
Domino, quemadmodum aliquando *Pollionem* servum suum ad mortem
damnassee legimus, tantum ob fractum vitrum. Et hujus quidem fundamen-
tum forte ex inde fuisse petitum colligitur, quod Servus non modò sit Instru-
mentum, uti *Suprà* §. 14. dictum; sed etiam, quod sit res subjecta Dominicæ
Potestati & Dominio; quod consistit in libera disponendi facultate. Sed tamè
quoniam contigit huic Instrumento i. e. Servo, esse ex numero hominum &
unusquisque etiam super suis rebus ita disponere debet, ut dignum & hone-
stum est, & ne Respublica quoque damnum exinde capiat, ideò illa
potestas non immeritò improbatur etiam ipso *Jure Naturæ & divino*, *E-*
xod. 21. v. 26. & 27. cum sit contra istud Juris naturalis principium;
Nemo est ledendus. Jus præterea vitæ & necis non est alicujus privati,
sed solius Magistratus, cui jus suum tam rigidus Dominus eripere atque
auferre non debet; Max. Reverendus Dn. Præses in *Compendio J. N. p. 2.*
c. 12. §. 6. Hinc quoque *Jure Civili* ex Constitutione Divi Antonini
Dominica potestas quàm maximè mitigata est, adeò quidem, ut
non liceat sine causa in servos suos supra modum sævire & si intolera-
bilis videatur Sævitia dominorum, cogantur Domini Servos suos bonis
conditionibus vendere, quemadmodum constat ex §. 2. *I. de his q. s. v. a.*
j. st. Et quem latet Exemplum notatu dignissimum Divi Hadriani in
Jure Civili? Divus namque Hadrianus Umbriciam quandam Matronam
in quinquennium relegavit, quòd ex levissimis tantum causis ancillas
atrocissimè tractasset, ut testatur Ulpianus in *l. 2. ff. de his qui sui v. a. j. st.*
Sed posset aliquis dicere, quod hæc potestas Dominorum dicatur
nonnunquam Juris gentium, etiam ab ipsis Jctis. Verùm Resp.
Hoc ipsum non est intelligendum simpliciter & absolutè ac ra-
tio-

tionē fundamenti, quasi cura naturali ratione conveniat, sed tantum respectivè & potius ratione usus & exercitii, quòd illa potestas à multis gentibus de facto exerceatur. Confer Grot. *de Jur. B. & P. lib. 3. c. 14. n. 2.*

§. XIX. Acquisitionem porrò quod concernit; Omnia ea, quæ Servi acquirunt, Dominis suis acquirunt; Servi siquidem nihil proprii habere possunt ex hâc ratione, quòd in totum sint Domini, & quòd sint in aliena potestate ac dominio; Qui autem tales sunt, & nihil possidere, & nihil proprium habere queunt. Hæc de Jure Domini activo, sequitur nunc etiam Passivum.

§. XX. *Ius itaq; Domini passivum non perperam dici potest Debitum herile, & nihil aliud est quàm Obligatio Domini, quòd teneatur Servo necessaria præstare. Illa autem necessaria sunt* 1. *Alimenta.* 2. *Directio* in Opere Servili & 3. *Securitas* in opere faciendo. *Alimenta* quod attinet, eorum nomine veniunt omnia ad Usus quotidianum necessaria; Ut sunt Cibaria sive Victus, Vestiaria sive Amictus, habitatio & Medicamenta. Hinc communiter dicitur, Dominum Servo præstare debere tria: nimirum opus, cibum & Animadversionem; Cibus enim sine opere facit Servum porcum, opus sine Cibo asinum, & castigatio sine utroq; Canem. Directio Domini consistit in recta Servi gubernatione secundum quam vitam suam ad nutum & arbitrium Domini componere cogitur. Securitas se extendit ad defensionem Servi, qui defendi debet à suo Domino ab omni damno & Injuriâ & ne impediatur in perficiendis suis operibus & præstandis ministeriis.

§. XXI. Visis Juribus ex parte Domini succedunt quoque jura ex parte ipsius Servi naturalis, suntque itidem vel Activa vel Passiva, ac ut jura dominorum. *Jura activa* uno verbo appellari solent *postulata Servorum*, & nihil aliud sunt quàm Facultates omnia ea exigendi à suis Dominis, sine quibus Servi Dominis suis præscribentibus & dirigentibus obsequium præstare, & sic in finem communem cooperari nequeunt. Quemadmodum huc pertinet (1.) *facultas exigendi alimenta* & alia necessaria. Sicut enim ex ipso jure Naturæ Dominus ad præstanda Servo alimenta obligatur; ita etiam ex ipso jure naturæ Servus ea potest à Domino exigere. (2.) huc quadrat *facultas exigendi documenta*, i. e. ut Dominus præscribat Servo, quid faciendum, quid verò omittendum, & ut gubernet Servum secundum suum nutum & Intentionem. (3.) *Facultas exigendi de-*

defensionem: Si enim Servus impediatur injusta vi & non defendatur à Domino suo, vix est, ut Domini mandata exequatur, & sic finis Societatis acquiri possit; haberet etiam hic Servus indemnitate, quod mandata Domini accepta non executus fuerit.

§. XXII *Jura verò Servipassiva sive officia Servorum* quia dirigit juris naturalis præceptivi hoc Axioma: *Superiori est parendum*; ideò speciali nomine vocari non ineptè possunt *Obsequia Servilia*; Et sunt obligationes Naturales, quæ Servum adigunt ad præstandum Domino ea omnia, quæ Dominus Vi & jure superioritatis à Servo exigere potest, idè propter Servi inferioritatem. Ex quibus Juribus & Obligationibus sequitur, 1. quod servus domino præstare debeat obedientiam, & quidem regulariter in omnibus, nisi Dominus contraria aut Deo, aut Magistratui præcipiat. Excell. Dn. Præses in *Comp. I. N. p. 2. C. 12. §. 10. & 11.* Domini enim non omnia jubere possunt, nec Servi in omnibus parere ac obedire coguntur. Sic e.g. contra Republicam imperata facere & exequi nullo modo debent, nec ullo scelere manus suas commaculare; prout Maximè Honorandus Dn. Præses ex Seneca *L. 3. de Benef. c. 20. annotavit d. l.* Deinde 2. Servus quoque Domino præstare debet *Amorem*; quemadmodum enim misericordia Domini amorem includit erga Servum; ita quoque obsequium Servi includit amorem erga Dominum suum, siquidem ex Jure naturali est, ut amantes se ipsos redament. Sed tamen, quod hoc loco dictum est de Amore inter Dominum & Servum, illud tantum intelligendum venit de *amore concupiscentia & imperfecta*, non verò *amicitia & perfecta*, quæ Domino cum Servis non intercedit, uti supra monitum ex Dn. Thom. §. 17. Præterea 3. Servus Domino debet *timorem*, qui exinde venit, quòd Dominus Servum coercere valeat. 4. denique obligatur Servus, ut sustineat pœnam promeritam non quidem mortis, sed leviolem castigationem, increpationem verbalem, leviolem realem, & nonnunquam custodiam privatam. Sicuti namque Patria potestas debet consistere in pietate, non in atrocitate; ita etiam dominica potestas debet consistere in lenitate, non in Crudelitate, adeò, ut Dominus potius sanguinem Servi servare quam perdere debeat.

§. XXIII. *Contrarium Servitutis Naturalis est Servitus Legalis*, quæ licet in multis conveniat cum nostra, tamen in quamplurimis etiam differt ab eadem; & quidem 1. *ex parte principii & mensuræ.* 2. *ex parte formæ.* Etenim Principium, mensura aut fundamentum Servitutis

tutis naturalis est *Ingenium Stupidum & Servile*; *Legalis* verò *Captivitas bellica* vel quid tale. Quod *formam* attinet, *Servitus Legalis* est durior naturali, quæ planè clemens est & ingenio servili præditis hominibus non in pœnam cedit, sed potius commodum. Adde Excell. Dn. Thom. in *Annot. Phil. Pract. Tab. 35. 162. & 163.*

§. XXIV. His ita deductis placet adhuc subnectere quæstionem; *An Jcti negantes dari Servitutem naturalem, revera pugnent cum Aristotele?* Quod negatur; Quia Jcti Servos non sub alio statu considerant, quàm sub *Legali*, ubi obligatio ad serviendum è *Captivitate bellica* & aliis causis, certè undecunq; potius quam ex *Ingenio Servili* accessit: ubi item tam dura est *Servorum* conditio, ut vix possint non odisse dominos. *Aristoteles* contra *Servitutem* in hac *Theoria* suâ revocavit ad *limites Naturales*, eosq; tam clementes & mansuetos, ut *Dominum* inter & *Servum* amicitia quædam mutua locum habeat, 1. *Pol.*

4. Sed quæritur ulterius? *Cur Jcti Servitutem sub Legali tantum statu considerent?* Resp. Hoc exinde est factum, quia *Praxis* in vita communi statum naturalem non reperit, sed tantum *Legalem*. Ast dicis: dari *Exempla*, ubi *stupidus* homo servit *prudenti* etiam in *Servitute Legali*. Resp. Esto; *Causa* tamen hujus *Servitutis* proxima, & ut ita loqui liceat, *decretoria*, non est *stupor* ille, sed *captivitas bellica*, aut *paupertas*, aut tale quid, quia *accidentaliter* cum *stupore* conjunctum esse potest.

§. XXV. Sed nunc rivos claudere lubet; quædam enim tantum in hac gravissima materia attigisse sufficiat. Omnia verò eaque difficiliora enodare, quia erat ultra humeros nostros, idè in his acquiescimus: Et quod reliquum est, illud huic materiae imponimus, quod sub finem *Disputationum* addi solenne & pium est:

SOLI DEO GLORIA!



Ad Ampliff. Consultissimumque
Virum, Politissimi Dn. Respondentis Parentem,
Amicum M. Veterem.

EN Natum pugnare Tuum, me Præsides læ-
tus
Te quoque lætari, dulcis Amice, scio.
Viximus hîc olim mensa conjuncti & amore,
In studiis quando totus uterq; fuit.
Qvis Natum alterius fruiturum hac sorte putasset,
Neuter ubi meruit rem titulumq; Patris?
Sic Domino placuit, qui Natorum atque Parentum
Est Pater; hunc maneat gloria honosq; Patrem.

Antiqua fide scribeb.

D. Val. Alberti.

C

Qvod

Quod jam proponis sub *Magno Praside*
Tmema,
Nobile Depositum dicitur hocce Tuum.
Perge ita: Lætitiæ multum *Patria* inde *Paterq;*
Percipient; reddet Præmia multa *DEUS*.
Gratulor inde *Tibi* paucis, *Magnoq;* *Parenti*,
Ex Animo *Vobis* optima quæq; precans,
Ut *Tua* coepta heet Numen præfensq; Laboris
Ardor det Patrio Commoda multa Foro.

Nobilissimo Dn. suo Auditori debitæ
Gratulationis ergò

£

Christian Gottfried Berger/
J. Utr. D.

Dum quos servitiis aptet Na-
tura, volutas,
Effulgent animi pignora rara
Tui:

Scili-

Scilicet ingenium, non ad Servi-
lia natum

Doctrinae titulo nobiliore vi-
ret.

Macte Tuis ausis, & quod Doctri-
na paravit,

Continuâ crescat Sorte peren-
ne decus.

Hisce paucis
Nobilissimum Dominum Respondentem, gratula-
ti de 'egregio Eruditionis specimine a-
nimitus, excipiant ipsius

COMMENSALES.



Sollicit ingenium non ad servi-

lia partem

Doctrinae titulo nobilitate vi-

ret

Magis iuris & quod Doctri-

na paravit

Continua crederet forte peten-

ne decus

Hic parat

Nullum in doctrina & libenter gram-

ma ad eam rationis locum &

namque ad partem

COMMENTARIES



Nur für den Lesesaal!

Leipzig, Diss., 1684

ULB Halle

3


006 774 873



WMA







B.I.G.

Farbkarte #13

1684, 1
O MORALIS,
TUTE
RALI;

am
Gratia
atis Philosophicæ
ltu,
ÆSIDIO
RI
Amplissimi atq; Ex-
tissimi
BERTI, SS.Th.D.

icæ ac Metaphysicæ Ordi-
g. ut & Nationis Polon.
cemviri & Alumu.
Ephori,
Præceptoris sui filiali
atem colendi;
isquisitioni
M. DC. LXXXIV.
jicit
R MANNUS, Chemnic.
espondens.

JOH. GEORGI,

